dentur latera, videlicet crus A B 26302, & crus B C 57955, & basis A C 58892, & quærantur cætera. Aggregatum crurum est 84257, ejusque Logarithmus est 24738819 —0. Differentia crurum est 31653, ejusque Logarithmus est 34529210 — 0. Hos Logarithmos adde, fient inde 59268029 — 00, à quibus aufer 5293461 —00 Logarithmum basis A C, restant 53974568 Logarithmus numeri 45286 basis alternæ: quam ad veram adde, fient inde 104178, quorum dimidium est 52089, D C. casus major. Eandem ab eadem aufer, fient inde 13606, quorum dimidium est 6803, A D casus minor.

Rectanguli itaque A D B. habitis jam, hypotenusa A B, & crure altero A D: atque rectanguli B D C habitis, hypotenusa B C, & crure D C, innotescunt (per 2. hujus) anguli rectangulorum apud A & B & C, & per consequens omnes etiam obliquanguli oblati partes ex præmissis propalantur.

Nec secus agendum foret si darentur latera trianguli E B C, & cæteræ partes quærantur. Ex cruribus enim & basi vera E C, innotescit basis alterna A C, atque ex his uterque casus, & cætera, ut supra.

## CONCLVSIO.

*PErfectam igitur & completam jam habes omnium triangulorum rectilineorum doctrinam, quæ si aliquantulum operosa in Logarithmis rectarum variabilium inveniendis videatur: In motibus tamen planetarum computandis (in quibus scilicet eccentricitates orbium, elongationes Augium & apogæorum, epicyclorum diametri, & aliæ rectæ, eadem & invariabiles permanent) eorum Logarithmi exactè semel notati, semper in posterum, sine ulla mutatione subservient, miranda certè facilitate, & certitudine.*

*Sequuntur jam Spharica triangula, omnium difficillima, ut vulgò ab aliis traduntur, per Logarithmos tamen nostros, omnium facillima.*

De trian-



# De Triangulis Sphæricis.

## CAP. III.

Sententia

*IN Triangulis Sphæricis angulus omnium quadranti quantitate proximus, & latus eum subtendens dubia sunt, An ejusdem,*

1. *an diversæ sint speciei, nisi id aut computus, aut hypothesis prodat.*
2. *Duorum vero obliquiorum angulorum quilibet est ejusdem speciei, cujus est latus eum subtendens. Unde alterius data, reliqui patet species.*
3. *Si trianguli angulus aliquis propinquior sit quadranti, quàm latus eum subtendens, erunt duo ejus latera ejusdem speciei, & tertium quadrante minus.*
4. *Si verò trianguli latus aliquod propinquius sit quadranti, quàm eo subtensus angulus: erunt duo ejus anguli ejusdem speciei, & tertius quadrante major.*
5. *Triangulum Sphæricum aut est quadrantale, aut non.*
6. *Quadrantale est cujus aut latus, aut angulus æquatur quadranti.*

Vnde, non rectanguli quadrantalis scientiam æquè facilè, ac rectanguli comparari posse, docemus.

7. *Quadrantale triangulum aut est multiplex, aut simplex.*
8. *Multiplex quadrantale aut est trirectangulum, aut birectangulum.*
9. *Trirectangulum est cujus singulæ partes quadranti æquantur.*
10. *Unde omne triangulum, cujus trium partium non oppositarum singulæ quadranti æquantur, Trirectangulum est.*
11. *Birectangulum est, cujus duo tantum anguli, & sua subtendentia latera sigillatim quadranti æquantur.*
12. *In omni birectangulo angulus obliquus æquatur suo subtendenti lateri.*
13. *Omne Triangulum cujus pars aliqua æquatur quadranti, & angulus aliquis obliquus æquatur suo subtendenti, Birectangulum est.*
14. *Omne Triangulum habens duas quascunque partes sigillatim quadranti æquales, & tertiam inæqualem, Birectangulum est.*
15. *Cætera quadrantalia simplicia dicuntur.*

 De sim-